

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVARTA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAG. EPIST. EXO. 20.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

de Paulum, 1. Corinth. 5. 2. ad Theſſal. 3. Aug. ſer. 10. de
verbis Domini, lib. de fide & operibus, cap. 3.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

TERTIAE QVADRAG. EPIST. EXO. 20.

Honora patrem tuum & matrem tuam, Vt Math. 15.
ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus, &c. Ephes. 6,
Finis Epistolæ: oues veſtras, et boues in omni
loco, in quo memoria fuerit nominis mei.



CONTINET hæc Epistola tria.

1. Primò, Præceptorum ſecundæ tabulæ enu-
merationem, videlicet, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, ut ſis longæuus ſuper terram. Non oc-
cides. Nō mœchaberis. Non furſū facies. Nō loqueris cōtra proxi-
mū falſum testimonium. Non concupiſces domum proximi tui, nec
deſiderabis uxorem illius, non ſeruum, &c. Quibus præceptis
optima inſtituitur à Deo politiæ forma: ergo & propter
Deū obedientia iſtis debetur, Ro. 13. Sunt autem hæc
præcepta, fontes omnium legum politicarum. Nā pri-
mò ſancitur imperium, & præcipitur obedientia, tã ex-
terna, quàm interna erga parentes, magiſtratus, ſuperio-
res quæ: Hoc verò de diligendis parentibus præceptum
etſi naturæ ſit, tamen ex authoritate diuina ita obligat,
ut nulla religio, quântūvis ſacra, præiudicare illi queat.
Sicuti nec votū, nec profeſſio. Collocat autē ſcriptura
hunc honorem parentibus debitum, Math. 15. Pro. 23.
Eccleſiaſt. 3. Ephes. 6. in timore, reuerentia, ſubventione-
que: quæ qui neglexerit, ut eis, ſcilicet, vel maledicat,
contemnat, egeſtate perire ſinat, maledictioni Dei ſuc-
cumbit legibus humanis occidendus. Patet locus dicēdi
de mutuo parentum erga liberos, & liberorum erga pa-
rētes officio. Secundò, Munitur pax, prohibetur contu-
macia erga gubernatores, ut ſunt iniuſtæ cædes, iniu-
ſta bella, odia, inuidiæ. Tertiò, Muniuntur coniu-
gia, ne vagæ graſſentur libidines, inordinatæ flammæ
furoris amātium. Quartò, Muniuntur dominia rerum, Domini-
æ ne maniſeſta & certā furta admittātur, ne ipſoſturæ ne-
gociationū, uſuræ, &c. mendaciā paſtorū, contra-
ctū. Porro hoc ſecundū præceptū ſecundæ tabulæ, ut &

Mutuo offi-
ciū patrum
et filiorum.
Pax.

Coniugia.

Dominia
rerum.

Decem præceptorum neglectus in omni Republica grauis finis motus & seditiones parit.

Euangelium omnem proprietatem non tollit, ut falso docent Anabaptistæ.

tertium Christus, Matt. 5. enarrat, dum prohibet priuata odia, vindictæ cupiditatem, externas corporum iniurias, & non tantum turpia libidinis delicta, sed etiam prauam animi concupiscentiam, damnans omnem concubitum extra legitimum matrimonium, eiusque concupiscentiam. Parit autem horum præceptorum neglectus in omni Republica grauissimos motus, seditiones, & excidia. Siquidem non ob sola odia, & bella pereunt imperia, regna, vrbesque: sed etiam occasione impudentissimarum libidinum, vt testantur historię de Sodomis, Dauide, Athenis, Troia, aliisque florentissimis regnis & Regibus. Etli enim leges humane vix puniāt libidines, tamē testantur scripturæ Deum grauissimè semper hæc puniuisse, & in iudicio puniturum, Ephes. 5. Quintò Mutuantur diuina autoritate iudicia, præcipitur veritas. Violant hoc præceptum omnes calumniæ forenses, fuci, elusiones in negotiis. Sextò, Septimò, His duobus præceptis intelligimus à Deo prohiberi, non solum opera externa, sed ipsam concupiscentiam, quæ in corrupta natura est, quæ semper in se mala est, etiamsi non accedat consensus, quia habet annexam contumaciam repugnantem legi Dei. Quatuor autem reliqua præcepta pulchrè confutāt errores fanaticorum hominum, qui docent Euangelium tollere omnem proprietatem: quemadmodum hodie Anabaptistæ, Successediani, & Adamitæ docent. Si Euangelio tollatur rerum proprietates, ergo præcipitur bonorum cōmunio: si omnia omnibus communia, nullum ergo perpetrari furtū potest. Si perpetrari non potest, frustra prohibetur. Sūnt ergo iuxta impiam istorum doctrinam vxores, liberi, prædia, opes, iumenta, omnibus communia, quod natura horret. Alioqui & leges, & tribunalia, Romano, 13. autoritate diuina constituta, sunt tollenda, sed seiplam hæc fanatica doctrina, dum prodit, destruit. Fideles autem intelligant omnia hæc diuina præcepta conferre seruantibus præmia, & negligentibus pœnas. Quam enim in primo tantum mentio fiat præmiorum aut pœnarum, ad singula tamen præcepta pertinent: præmia sunt, qui fecerint ea, viuet in eis: pœnæ, maledictus omnis qui non permanferit in omnibus, quæ scriptæ

scripta sunt in lege, Galat. 3.

2. Secundò, Naturam legis, cuius erat terrere timore pœnarum, dum ait, *Populum vidisse voces, lampades, sonitum buc. v. e. & mœtem fumigantem*, quæ præterquam quòd diuinam legislatoris maiestatem declarent, cuius potentia tota deseruiret mundi machina, pulchrè naturam explicant eorum, qui timore sub onere legis, tanquam serui premuntur, non autem vt liberi sub gratia constituti: hæc enim significabant spiritum seruitutis, quo erant impellendi ad cultū vnius Dei, & ab idololatria, ad quam ex conuictu Aegyptiorum erant propensissimi, retrahendi. Sic nanque solet Deus mentis elationem, animi superbiam, & sui contemptum deprimere externis terriculamentis, vt sui timorem inueniat, qui licet, iuxta Iohannem, esse in charitate nequeat, quum perfecta charitas foras mittat timorem, introducit ille tamen charitatem non secus, ac seta filum solet. Atque ideo quum perterriti, & stupefacti timore starent attoniti Iudæi, atque omnem pollicerentur obedientiam Moysi, dicentes, *Loquere tu nobis, & audiemus*, vt facildè multa solet polliceri animus consternatus, audierunt à Mo-

*Animus
consternatus
multa polli-
ceri solet.*

se, *Nolite timere. Vt enim probaret vos, venit Deus.* Cuius exemplo debent Episcopi, pastores, & ministri verbi Dei, dum subditorum animos seueritate scripturarum in peccatorum cognitionem adduxerunt, & vident ex consideratione iudicij diuini attonitos, mox earundem scripturarum suauitate erigere, ac docere, Deum ideo minati, vt parcat: corripere, non vt perdat, sed vt emendet, Ezech. 18. Matth. 11. 1. ad Timoth. 1.

3. Tertiò, Prohibitionē idololatriæ, cum præcepto ve-

*Prohibitio
idololatriæ.*

ri cultus, dicens, *Non facietis Deos argenteos: nec Deos aureos facietis vobis.* Sinechdochicè omnem idololatriā intelligēs, omnemque simpliciter cultum prohibens, qui cum iniuria creatoris sit coniunctus. Vide Sap. 14. Isa. 46. Psalm. 113. vbi idola, authores, & cultores æternæ maledictioni deuouentur, quia confidunt in re nihili. Sci-

*Idolum ni-
hil est in mū-
do.*

mus enim, inquit Apostolus, quòd idolum nihil est in mundo. Illi autem, vt habet Hier. mutant gloriam Dei in idolum, qui confidunt in homine, ponūt carnem

*Qui sūt qui
mutāt Dei*

gloriam in
idolum. dissipatas quæ continere non valent aquam, Hierc. 2. Hoc est, qui sic à rebus creatis pendent, vt in eis spem omnem ac fiduciam collocent, hos demum veros appellare idololatrias licet, vt de auaris testatur Apostol. Ephes. 5. 1. Corinth. 6. Hoc loco abutuntur hæretici, vt Sanctorum, & imaginum cultum evertant, sed quàm rectè ipsi viderint. Non enim fideles sic vel imagines venerantur, vel diuos colunt, vt à Deo recedant, vt in eis, Deo neglecto, omnem fiduciam, ac spem collocent. Nunquam enim id permisisset à Spiritu sancto edocta Ecclesia, sed tantum modo ad venerationem, suffragiorum imperationem, & ad imitationem & imaginum vsum, & Sanctorum memorias concedit. *Altare deterra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta, pacifica vestra, & oves vestras, & boves, in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.* Quibus verbis veram Deum colendi rationem præscripsit, quæ in ratione veri illius sacrificij consistit. Cuius typum omnia illa vetera sacrificia gerebant, id est, in sacrificio illo cruento, quod in cruce filius Dei obtulit in corpore suo, quod è carne terrena suscepit: in hoc altari, id est, in huius merito quisquis sacrificium contriti cordis, spiritus cõtribulati, vel laudis obtulerit, iuxta spiritualis Sacerdotij, quo omnes fideles secundum Petrum sunt Sacerdotes, consuetudinem, verè Patri in odorem suauitatis offeret sacrificium: idque merito, & efficacia altaris Christi, scilicet, huius qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, per quem accessum habet ad Patrem per fidem, Rom. 5. Omnia, quæcunque petierit, impetrat, Iohan. 16. Saluatur ab ira per ipsum, Rom. 5. Sicut enim displicebat Deo olim victima, quæ in alio, quàm in terreo hoc altari offerebatur, quandiu in eremo errabant Iudæi, ira Deo inuisa est omnis oratio, quæ Christi merito non innititur: hunc etenim solum proposuit Deus propitiatorem eis, qui & ignorant, & errant, victi, scilicet, vel ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

TERTIAE, EVANGELIUM,

Matth. 15.

Tunc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſei, dicentes, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? &c. Finis Euangelij: Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.



AGNA verborum acrimonia inuehitur Christus.

1 Primò, In falſam Sacerdotum, & Scribarum ſuperſtitionem, qua humanas traditiones ſine verbo Dei traditas, Pontificum mandatis Dei præferrent, clauum clauo pellens: interrogantibus enim, *Quare diſcipuli tranſgrediuntur traditiones Seniorum?* reſpondet, *Quare vos propter traditiones, & ſuperſtitiones veſtras, tranſgredimini mandatum Dei?* Opponit itaque Chriſtus per anticheſin, & traditionibus hominum mandatum, & ſtatutis hominum, præceptum Dei. Intelligit autem Chriſtus, non ſolùm illud mandatum Dei, quod ſcripto per Moſen eſt traditum, verùm etiam quod viua voce per cabala, ſive traditionem acceperant, ſicut hominum intelligit traditiones, quæ humano ingenio, contra Dei verbum erant excogitatæ, quales erant hæ Pharifaicæ, qui dicebant, *Qui dixerit patri vel matri, Mimus quodcumque ex me eſt tibi proderit*, Matth. 16. Et ſi dixerit homo patri, vel matri Corban, Marci. 7. Neque enim Chriſtus ſimpliciter omnes traditiones damnat. Peccaret enim alioqui Paulus, 2. Theſſal. 2. Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas accepiftis, ſive per ſermonem, ſive per Epistolam. Proinde errant, qui arbitrantur Chriſtum ſimpliciter quaſcumque damnare traditiones. Dānat enim eas ſolùm traditiones, quæ ita ſunt hominum, vt nullatenus Dei eſſe poſſint, id eſt, ſolo ingenio humano excogitatæ, ſine vlla Spiritus ſancti reuelatione, quæ tales ſunt, vt Dei præceptis repugnent & contrariantur.

Mandatum.

Traditiones

Non omnes traditiones damnandæ.

2 Secundò, Chriſtus itaque, vt falſam illis de iuſtitia operum, quam ex huiusmodi ſuperſtitionibus conceperant, larvam detraheret, acerrima Iſaiæ ſententia ipſos perſtringit, qua in eis grauiffimos errores reprehendit.

Iuſtitia operum.

dit: scilicet, *Quid labiis Deum honorarent, corde procul abes-*
sent ab eo, & docerent doctrinas & mandata hominum. Hæc
 enim propria sunt opera eorum, qui neglecta Dei iusti-
 tia suam volunt statuere, Rom. 10. quos proprio nomi-
 ne, vel hypocritas, vel Duces cecos, vel sepulchra deal-
 bata, Matth. 23. vocat Christus. Dicuntur autem labiis
 honorare, qui tantum, ut Poëta ait, trutinanti verba la-
 bello sacra canunt, voce tenus solum submurmuran-
 tes, quum aliud longe animo versent, quam verbis pro-
 nuntient: ut, si quis orationem prolixam simulat, ut sic
 domos viduarum penetrare queat, corde procul à Deo
 abesse, dum ita rerum terrenarum cogitatione, & con-
 cupiscentia impeditur, ut dum maxime coram homini-
 bus pietatem simulat, nihil minus quam de Deo cogi-
 tat, non Christo, sed suo ventri seruiens, & docere do-
 ctrinas & mandata hominum, qui contra Dei verbum,
 ea quæ humano excogitata ingenio, quæstus causa, po-
 pulo obtrudunt, tanquam diuinum foret oraculum.
 Hoc loco mirè sibi blandiuntur nostri temporis hære-
 tici, aliud nihil omnibus suis scriptis crepantes, quam

*Labiis hono-
 rare qui di-
 cantur.*

*Hæretici or-
 bus indices
 esse volunt.*

*Abusus
 tollendi, qui
 in religione
 irrepperunt.*

hæc in Monachos & Papistas quadrare, dum velut seve-
 ri aristarchi sese orbis iudices, contra ordinem iuris,
 constituunt: quo nulli licet accusatori iudicis partes si-
 bi sumere. Convincere enim prius debuerant veram
 religionem ex certo Dei verbo à patribus institutam,
 Deum labiis tantum honorare: quod certè nunquam
 poterunt, quum omnia ipsorum argumenta aliud ni-
 hil, quam abusus, qui passim temporis diuturnitate in
 religionem irrepperunt, demonstrant: quos certè dissimu-
 lare nec possum, nec volo. Sed quam futilia talia sint ar-
 gumenta, quæ ab usu sumuntur, vel tyronibus Diale-
 ctices notius est, quam ut probatione egeat. Doceant
 itaque veram religionem, quæ in spiritu & veritate Deum
 adorant, labiis tantum honorare. Doceant calixatum,
 continentiam, paupertatem voluntariam, veram humi-
 litatem, doctrinas esse hominum, & cum verbo Dei
 pugnare. Doceant, inquam, abstinentiam, quæ carnis
 frenandæ causa suscipitur, doctrinam esse demoniorum,
 (ut illi loquuntur) & utraque manu palmam dabimus.
 Sed nunquam poterunt, nisi magna impudentia velint

quod indices non veretur, adulterare verbum Dei: aliud scilicet, trahēdo, quā a Spiritu Christi sit institutum. Proinde nihil minus hic agit Christus, quā quod veram religionem damnet, in quam, siquā irreperit superstitione, ea purgetur: siquā licentia, coërceatur: siquis error, eo sublato, veritas restituatur.

3 Tertiò, Concionatur Christus hoc Evangelio contra falsam opinionem Phariseorum, quā in delectu ciborum conceperant. Quia enim per Moſen varia illis Deus ciborum genera interdixerat, credebant ex natura ciborum inquinari manducantem, & reū apud Deū fieri. Atque eò spectabat & ipsorum traditio de frequēti manuum lotionē, contra quam hic peccarant Apostoli. Quum enim per Prophetam mundiciem præcipi audirent, ut est, Mundamini, qui fertis vasa Domini, Isaia. 52. Item, Lavamini, mundi estote, Isaie 1. credebant ex immundicie sordium corporearum animum inquinari posse. Quam sententiam corrigit Christus, ostendens, ut ait Apostolus, omnem creaturam Dei bonam, & nihil esse reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. *Conuocatis enim ad se turbas, dixit, Audite, & intelligite.* Quia enim obstinata malitia sese excæcarat Iudæi, ut allatā per Christū veritatem nō agnoscerent, illis neglectis: cōuocat Christus turbas, quibus cōperat Pater iam reuelare mysteria, Matt. 11. docens quid hominē vel purū vel impurū reddat, scilicet, non quod intrat in os, & non quod illotis manibus sumitur, sed quod procedit ex ore. Quia enim inquinata mens est, & conscientia fit, ut quicquid ex corrupto fonte cordis, & oris procedat, impurum sit & immundum. Voluntas enim, quæ humanarum actionum origo est, semel corrupta efficit, ut quicquid ab ea procedat immundum sit. Proinde qui contra mandatum Dei, vel Ecclesiæ decretum cibum aliquem sine vlla necessitate, sed deliberata malitia & voluntate arripit, ut gulæ suæ satisficiat, hunc non cibus, sed mala concupiscentia & voluntas, reddunt immundum.

4 Quattò, Succurrit infirmitati discipulorum, qui caelestem hanc Philosophiam de tollendo Pharisæico supercilio, quod ex ciborum delectu sumebant, nondum

*Voluntas,
humanarū
actionum o-
rigo.*

*Cibus, potus,
& vestitus
ex natura
sua nemini
coram Deo
polluunt.*

FERIA QUINTA

poterant intelligere, docens negligendum esse scandalum, quod impij sumere solent ex pia doctrina: qualis erat hæc Christi, de natura ciborum, ac ratione ex natura petita, sententiam suam Petro roganti interpretationem edisserit, post gravem comminationem, qua ipsorum ruditatem, & hebetudinem arguit, quòd adhuc sine intellectu essent, docet cibum, potum, & vestitum ex natura sua neminem coram Deo polluere: sed solo peccato hominem coram Deo pollui, quod hoc ex corde suam originem fumeret, ut sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiae. Propter hæc enim, quia natura sua mala sunt, & verbo Dei prohibita, venit ira Dei super omnes, qui iis inquinati sunt. Manducare autem manibus non lotis, aut communibus, non coinquinat hominem. Omnia enim munda mundis, nec potest animus, qui incorporeus est, defædari, nisi inquinamento & sordibus peccatorum.

FERIA QUINTA HEBDOMADAE

TERTIAE QUADRAGESIMAE,

Epistola, Hier. 7.

Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino, dicens, Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, &c. Finis Epistolæ: habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam dedi patribus vestris à seculo, & usque in seculum.

EPISTOLA Prophetæ agit tria.
I Primò, Iussu Domini Iudæos prætextu religionis impunitatem peccati sibi pollicentes, quòd, scilicet, Deum verbis faterentur se nosse, factis verò negarent, graviter arguit, ac reprehendit, damnans impiam hypocrisim, & quam imbibebant, falsam superstitionem de Deo conceptam, quasi gentilium Deorum more, aut solo sacrificiorum nidore, magnificis anathematibus, & clamorosis orationibus, 3. Reg. 18. quales erant Baalitarum, oblectaretur. Quæ opinio eorum est, qui ex suo ingenio naturam divinam æstimant: nec aliud Deum esse somniant, quàm quod ratio-